

tiam, sed non sufficit. Secundum patet ex sequenti propositione. Primum patet, quia in tali actu consistit principaliter peccatum, quo manente penitentia ut dictum est, agi non potest. Nec sufficit quod volens penitere cesset tantum velle actum peccati, ut nunc presentem, sed oportet cessare complacentiam respectu præteriti, & propositum respectu futuri. De præterito quidem complacentiam illam necesse est cessare, quæ est actus voluntatis liberè elicited, quæ nihil aliud est, quam velle actum peccati commississe, quia & ipsa mortalis est. Secus de complacentia voluntatis, quæ statim sequitur apprehensionem obiecti per memoriam præueniens rationis deliberationem, quia hæc habet rationem delectationis surreptitiæ, vel primi motus, quæ non est peccatum, aut tantum veniale.

De quo Augustinus li. 1. de sermone domini in monte, distinctio. vigesimo-quarta. secundi. Sic cessare necesse est propositum de futuro, quod nihil aliud est, quam actum peccati velle committere pro futuro. Hoc enim stante iam peccatur, siquidem voluntas pro facto reputatur. Nam qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est in corde suo. Matth. quinto. Oportet ergo penitere volentem nec velle peccare, nec velle peccasse, nec velle peccatum iri.

Tertium necessarium est volenti penitere cessare à peccati actu interiori, ut manet virtualiter, ita quod non solum suspendendus est actus interior elicited, ut formaliter actu inhærens, sed oportet ab omni actu, vel effectu cessare, in quo eius virtus saluatur, ita quod nihil agendum est, vel obseruandum virtute illius actus elicited, ut in priori exemplo. Non solum cessandum est ab eo, quod est velle interficere, sed & à præparatione armorum, conductione satellitum &c. in quantum ex hac voluntate procedunt, patet: Nam sicut in omnibus actibus, in quibus virtualiter manet actus voluntatis in

terior meritorius, meremur, ut de volente ire ad Sanctum Iacobum declarat Scotus. Ita & actibus, in quibus virtualiter manet actus voluntatis demeritorius, demeremur, per topicam. Sicut propositum in proposito, ita oppositum in opposito.

Curramus pro certiori intelligentia per aliqua peccatorum genera. Voluitis, per superbiam præferri aliis te melioribus, vel dignioribus. Idcirco autem ostentationem varium, & vanum procurasti ornatum nutrisci comam, crispasti capillos, vestes inaniter perforasti, calceos, & sandalia rostrasti, faciem adulterino colore fucasti, & similibus vanitatibus ad nihil aliud ordinabilibus, te ipsum magis deformas, quam ornas. Penitere vis, conteri, conteri. Non sufficit iam cessare ab actu volendi, præferri dignioribus, nisi omnes has vanitates abicias in quibus virtus eius saluatur.

Ex quo patet magna fatuitas, & insania eorum, qui ad confessionem procedentes cum talibus laruis contententur se peccasse, per superbiam in capillis, rostris &c. & hæc ipsa actu gerunt, nec deponunt, verè irrisores Dei non penitentes, immo (quod insanius est) sic laruati ad eucharistiæ procedunt sacramentum. Patet nihilominus in aduertentia, & negligentia confessorum tales absoluentium, qui magis remittendi fuerant, & informandi, ut deposito superbie fastu, humili redirent habitu tunc audiendi, & secundum eorum qualitatem absoluenti.

Verum si vestis aliqua, aut aliud ex superba intentione assumptum, alia intentione emendatiore deferri posset, corrigenda foret intentio, non vestis proicienda. Nolo tamen dicere, quod non secundum statuum varios gradus vnus cõdecet, quod ab alio non nisi vanè assumi possit. Concupisti uxorem, filiam, ancillam proximi, & ideo paras munera, ut allicias, occurras, saltas, complecteris, oscularis. Non sufficit non concupiscere, nisi ab his, que per concupiscentiã secuta sunt, cu-

Exempla  
ris ostẽ-  
sio præ-  
missorũ.